



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrelii Avgvstini Hippoensis Episcopi Et S. R. E.  
Doctoris Vita**

**Lancilottus, Corneille**

**Antverpiæ, 1616**

Cap. V. Inter Episcopatus molestias anhelat ad quietem monasticam,  
fratresque Eremitas subinde leuaminis caußâ inuisit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42857**

militatis offerre: an verò ille de celis in humana membra descendit, ut membra eius essemus: & nos ne ipsa eius membra crudeli diuisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? Si serui utiles sumus, cur Domini aeternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus inuidemus? Neque id mirum cuiquam videri possit, cum is Episcopali dignitate non ad suum viius commodum, sed ad utilitatem populi fungeretur.

## C A P V T V.

*Inter Episcopatus molestias anhelat ad quietem monasticam, fratresq; Eremitas subinde leuaminis causâ inuisit.*

**I**NTERIM anhelabat frequenter ad gratissimam quietem, suauissimasque solitudinis, quam tunc reliquerat, delicias; tum propter mille negotiorum molestias, tum propter tanti munera sarcinam laboriosam, de quâ rationem strictam Deo redditurum se nouerat. Ita se fatetur affectum Serm. xxiv. De tempore, Domin. III. Adventus, quâ die fuit iniciatus: sic & in Confess libris: *Conterritus peccatis meis & mole Li. 10. Comiserie meae, agitaueram in corde, meditatus- fell. c. 63.* que fueram fugam in solitudinem. Atquid in hac deliberatione versaretur, reuocatus est haç Domini voce: *Ideò pro omni-*

O 3 bus

bus Christus mortuus est, ut qui viuunt, non  
sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.  
Cui quantocyùs ille respondit: Ecce Domi-  
ne, iacto in te curam meam, doce me & salua  
me. Ille tuus Vnicus, in quo sunt omnes the-  
sauri sapientiae & scientiae, redemit me san-  
guine suo, &c. His sæpè sæpiùs altiusque se-  
cum repetitis, in Episcopali suâ functione  
perstitit: neque tamen Eremiticæ familiæ  
affectionem vel curam depositit, sed è subditis  
dignissimos quosque vicarias pro se partes  
agere iussit.

De quibus cùm plures ad Ec-  
clesiaistica munia obeunda è monasteriis à  
Lib. 1. c. 2. De ordine. Lib. De Vi-  
tâ beatâ, sub princi-  
pium. F. Baptista Alouilian. sese fundatis euocarentur, isti vnicō mona-  
sterio, quod erat in solitudine, germanum  
suum fratrē Nauigium præfecit: qui adhuc  
infantulus Christiano ritu baptizatus pie-  
qué educatus, Monicæ suæ matri in omni-  
bus itineribus comes fuerat. Hos in eremo  
fratres indissolubili amoris affectu prosecu-  
tus Augustinus interdum ad se euocauit,  
ut gratâ presentiâ solitoque cum eis collo-  
quio frueretur. Qui dum multiplices huius  
vitæ timerent insidias, neque tutò se dice-  
rent Religionis arcem exire posse; rogaue-  
runt inuicem S. Episcopum, ut ad se potius  
ventitaret, paternamque benedictionem  
impenderet. Igitur vir sanctus eorum votis  
acquiescere coactus, visebat eos subinde,

de que

deque rebus cælestibus cum eis sermones faciebat, exhortans eosdem, ut ad virtutum perfectionem contendenterent, & in earum exercitio constarent, neque instar vxoris Lothi retrò verterentur; sed eousque in agone præsenti contendenterent, dum æternæ vitæ brauium consequerentur. Porrò ne quid eis deesset eorum, sine quibus hæc vita non dicitur, paterno amore prouidit: quemadmodum etiam ante ipsum Vale-rius fecerat Episcopus: qui (ut eâ tempestate Episcopi monasteria fouebant, suis ea for-tunis ac prouentibus fermè sustentantes) Eremitas Augustinianos quamplurimis be-neficiis affecerat; ac præ ceteris partem bo-norum suorum in exstructionem monaste-rij contulerat: ad quam rem perficiendam omne Augustini patrimonium nequaquam sufficere poterat. Eò loci sodales cohortatus serm. De ad obedientię, paupertatis, castitatis, & mu-tui præsertim amoris exactam obserua-tionem: ceu refectis hoc amico congressu & angelico colloquio viribus, ad intermissos officij sui labores, atque ad inchoatum cum hæreticis certamem vegetior latior-que redibat Augustinus.

S. Antonin.  
3. par hi-  
stor.t.24.